Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 247
Quelle:
Copyright:

XXII. *fol.* 275. p. 2. Eadem Oratio *bohemice*, cui accedunt eadem lingua Responsum Papae, quo promittit Legatum supradictum, Replicatio Nunciorum, Puncta illis commissa *Romae* agitanda, *Henrici Kalteisen* S. Palatii Magistri, et *Johannis* Card. S. *Angeli*, item Secretarii Card. *Andegav.* ad Nuncios Dicta, denique Colloquium Papae cum iis. Omnia haec versantur circa reditum Regni ad unionem cum Sede Rom. circa Communionem sub utraque et Confirmationem Archiepiscopi, prout exponuntur in Oratione Card. Legati, quam exhibet *Cochlaeus* L. X. p. 353.

XXIII. *fol.* 285. Materies Sermonum pro *Paschate*, *Ascensione*, *Pentecoste* et *Festo Corporis Domini*, sive Expositio Locorum Biblicorum in hisce Festis in Ecclesia legi solitorum. Primum exponitur illud *Lucae* ult. *Surrexit dominus vere et apparuit symoni.* Initium: *Notandum quod dominus surrexit potenter mirabiliter vtiliter veraciter feliciter* &c. Ultimum illud *Joh. 6. Caro mea vere est cibus* &c.

Quae de Eucharistia sunt, ad Communicantes sub utraque Specie directa esse videntur.

XXIV. *fol.* 339. *In festo pasche.* Sermo Bohemicus, cujus Thema: *Slawne wskrziessenie spasytele nasseho Bud wesele kazdeho wierneho.* Resurrectionem scilicet Servatoris unicuique Fidelium adferre gaudia.

XXV. *fol.* 345. absque Titulo Expositio Rituum omnium Sacrificii Missae brevi Sermone comprehensa, cujus initium: *Quis ex uobis arguet me de peccato.* Joh. XI°. *Quia hodie in epistola tractatur de pontificatu et sacerdotio eterno christi* &c.

XXVI. *fol.* 346. *Incipit tractatus de ordine et officio sacerdotali.* Initium: *Quasi stella matutina in medio nebule* &c. Inscribitur alias *Stella Clericorum*, indicanda pluries.

XXVII. *fol.* 353. Summa quaedam Theologica in Alphabetum digesta, cujus Elenchus praemittitur. Textus ipse inchoat: *Accidia. Nota accidiosus est sicut canis famelicus* &c. sed non ultra literam A. progreditur.

Multa huic *Codici* inesse, quae lucem nondum videre, praecipue Sermone *Bohemico* conscripta, vix est, quod moneam. Praetexta est ei Membrana *Fabulas* V. carmine elegiaco concinnatas exhibens, quae inter *Fabulas LX. Anonymi* cum alias, tum in *Mythologia Aesopica* ab *Is. Nic. Neveleto Francof.* 1610. p. 486. editas numero sunt LII. LIII. LIV. LV. LVI. Manus est Sec. XIV. Fabellis singulis pone adscripta est Παραφρασις pedestris, diversa ab illa, quae in edit. *Ulmana* ex offic. *Joh. Zeiner* s. a. f. singulas praecedit, et *Romulo* cuidam tribuitur. Fab. LII. ubi *Nevelet.* legit: *foedere tentat*, rectius Noster cum *Ulm. fallere tentat.* Fab. LIV. Noster: *recipit* et *amoena* pro *sociat* et *amice.* Item *placet esca* pro *sapit.* Fab. LV. *nutrit*

iner-